



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Sita Virgo. 28. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. SITA VIRGO. 28. Aprilis.

PROPE Lucam in Hetruriâ nata SITA servitutum Fatinellorum familiaria, imò veriùs egenis servivit. Nam his ferè suum victum cessit, & quod unum in servâ supererat opis, pro mendicis quotidie apud dominos mendicavit, præclaram mercaturam dictitans (& mercatores erant) ingens cælum tantillo emere. Et verò liberali dextrâ, cùm nihil aliunde suppeteret, Numen suggestit. Ita sitiienti rogatori cùm aquam se porrexisset crederet, vinum propinavit. Alteri cùm fabas vendendas gratis dedisset, nihil tamen dominus superveniens abesse comperit, mensusuram cælo, ut promiserat, remetiente. Vestem quoque pellibus subductam, & commodatam ab hero, nudo ipsa commodavit. Nec sefellit. Retulit hic cùm irasceretur Herus SITÆ, & ex oculis disparens docuit, nulli securiùs rem credi, quàm cælo. Aliàs deprehensa panis reliquias miseris ferre, quò oculos dominorum falleret, tantisper in flores vertit, gratissimos deinde esurientibus odores. Suum verò, hoc est, virginitatis florem, quem à teneris intactum in tumultum etiam salvum intulit, precibus & jejniis fovit, lacrimis rigavit, nec lecto, sed quæ floribus amica est, terrâ deposuit, nec dubitavit quandoque

procacem servuli petulantiam unguibus notare, itaque vel invitum verendum facere. Nudis pedibus ad sacra loca euntem multa miracula comitata. Quid? quod domum redeunti sub noctem comes è calo delapsa MARIA ivit, & pontis urbisque portas reclusit. An dubitabimus ergo Cæli januam viventi SITÆ tam propitiam morienti patuisse? Ex *Bezovio*, 13. tom. *Ann. Eccl.*

SS. THEODORA ET DIDYMVS
MM. 28. Aprilis.

Fabulam damus, dum vivimus, alius alio pulchriorem: pulcherrimam DIDYMVS & THEODORA dederunt. Hæc dum parvulum tyrannum Amorem fugit, in majorem alterum Maximinum Imp. incidit. Iubetur aut fidem, aut virginem ponere. Quid ageret? Martyr moreretur, non virgo? Virgo viveret, non Martyr? placuit virgini Martyrem sociare. Abripitur in cellam infamem: sed primus DIDYMVS irruit in militis personam vultum amantis præferens: instruitur elegantissima scena: mutantur vestes: sub milite evadit virgo: sub virgine miles deprehenditur. Sed nunquam magis illa virgo, quam cum sic miles, nunquam magis iste vir, quam cum sic foemina fuit. Dum enim hic ad supplicium